

purissimum, cujus adhuc apparent vestigia promanasse: ejusque cœin-
dè dies decimo sexto Kalendas Au-
gustii quotannis solemnè festo, atque
ingenti concursu celebratur. Tu. ß.

*Homil. ut in festo Humilitatis die
XXIV. Octobr. p. 406.*

LECTIO 9.

Commemor. B. V. Ravennatensis.

Balingh. sub die 27 Julii.

Ecclēsius Ravennæ Episcopus pa-
ternas ades in templum erexit Di-
væ MARIE Virgini Matri, quod
majoris appellavit, eo quod alia es-
sent sacra illi minora templa in
eâdem urbe. In ejus templi tes-
titudine Beatae Virginis imaginem
tantâ artificis eruditione, opere ver-
miculato pictam fuisse creditur, ut
nihil pulchrius et simile magis pos-
set videri. Ea pulcherrima Virginis
Imago, et carmina ad ejus pedes
posita, unâ cum eâ penè lesitudine
ingeni ruinâ ac damno corrui-
t. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XIX. JUL.

GRATIE B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Deus qui humano generi Beatae
MARIE Virginitate fecundâ repa-
rationis Gratiam contulisti: conce-
de propitius, ut abundantia ejus
gratiæ, quâ Angelus plenam sa-
lutavit, participes fieri mereamur.
Per Dominum.

Lect. 1. Noct. fer. occur.

IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Mauricii Abbatis.
Epistol. lûr. 3. ep. 7.

LECTIO 4.

Hac gratiâ hanc singularem Virgi-
nem à tempore prolatae salutatio-
nis, sic plenam, vel repletam esse

intelligi, ut ei aliquam terrarum,
sive terrestrium, sive cœlestium
præferre nefas sit, conferre insu-
per absurdum sit. Hæc virtutum
universarum gratiâ cunctis creatu-
ris excellentius illud omnipotentis
creatoris, non tantum spirituale,
sed etiã corporale hospitium im-
pleri et ornari decebat, ut sapien-
tia Dei, quæ se delectari per sin-
gulos dies, quæ se ludere in orbem
terrarum, quæ se ludere in orbem
cum filiis hominum fatetur, quæ
nec delectare, nec ludere, nec de-
licari, nisi in sanctis virtutibus et
sanctis affectibus potest, in hæc
sanctâ, et super cœlesti Virgine
Matre suâ præ cunctis hominibus,
vel angelis virtutum gratiâ plenâ,
magis delectaretur, luderet, deli-
ciaretur. Tu. ß.

LECTIO 5.

Præ cunctis planè creaturis, et in
terris virtutum gratiâ exornari, et
in cœlis sublimi gloriâ illam deicit
clarificare, quæ sola inter omnes
creaturas Matris Dei nomine me-
ruit decorari. Nam cum multi di-
cantur angeli Dei, cum multi di-
cantur prophete Dei, cum multi
dicantur diversorum ordinum San-
cti Dei, ipsa sola dicitur Mater Dei.
Tu. ß.

LECTIO 6.

Undè justum erat, ut juxta quod
Apostolus ad Hebræos loquitur,
sicut Moyses fidelis famulus in do-
mo, sicut Christus unicus Filius
dominus in domo, sic ipsa ejus
Mater virtutibus et gloriâ toti fa-
miliæ post ipsam in eâdem princi-
paret domo. Sicut igitur est in
ipsâ singulare ac super omnia post
Deum nomen Matris Dei, ita est
singularis, et super omnia post
Deum in terris, et in cœlis gratiâ
et gloriâ ejusdem Matris Dei. Tu. ß.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 28.

In illo tempore: Ingressus Angelus
ad MARIAM, dixit: Ave, gratiâ
plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Epiphaniæ Episcopi.

Oratio de Laudib. Virg.

Ave gratiâ plena. Gratiâ Sanctæ
Virginis est immensa. Ave gratiâ
plena, multis virtutibus exornata
Virgo, in lampade gestans lucem
inextinguibilem, sole splendidio-
rem. Ave gratiâ plena, hanc osca
spiritualis, in te siquidem hanc
divinitas. Ave gratiâ plena, gloriæ
area spiritualis. Ave gratiâ plena,
quæ es urna aurea, continens man-
na cœlestis, quæ sitientes perennis
fontis dulcedine satias: mare spiri-
tuale habens gemma cœlestis Chris-
tum. Tu. ß.

Bened. 8. Cujus Gratiam.

LECTIO 8.

Ave gratiâ plena, splendidum cœ-
lum, quæ in cœlis incomprehensum
colines Deum: quæ cherubicum
thronum divinitatis fulgore supe-
ras: quæ cœli circulum habes, et
Deum incomprehensum Augusto
potissimum loco in te ipsâ conti-
nes. (Lect. 9.) Ave gratiâ plena,
nubes columnæ similis, quæ Deum
habes, qui populum deduxit per
desertum. Quid dico? quo pacto
predicabo gloriæ radicem? Solo
enim Deo excepto, cunctis superior
existit: naturâ superior est ipsis
Cherubim et Seraphim, et omni
exercitû angelico. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Cervis.

Canos. l. 10. c. 5.

Pluribus ab hinc seculis, unâ leu-
câ ab oppido Os in Archipresbyte-
rato Agerensi, per cervum, à quo
vulgare nomen de Ciervoles, mira-

culosa Deiparæ Imago ter inventa
à quodam optione fideliter tradi-
tur; nam cum semel et iterum eam
secum domum asportasset, sequen-
ti die in eodem loco aliâ vice re-
periebat. Undè miraculi famâ evul-
gâtâ oppidani solemnem supplica-
tionem ad eum locum cum Comitē
Urgellensi, Comitissâ et filiabus in-
stituerunt, ac illic Sacellum ei ex-
struere decreverunt, quod deinceps
percebre semper fuit tam mira-
culis quæ Sanctissimâ Virgo ibi
patravit, quam accursa ac pietate
fidelium eam invisentium. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Sancto Ambrosio Episcopo.

In Evang. Luca. lûr. 2. n. 8.

536. Soli MARIE hæc salutatio

«Ave gratiâ plena» servabatur. Bonè
enim sola gratiâ plena dicitur,
quæ sola gratiam, quam nulla alia
meruerat, consecrata est, et gratiæ
repletur auctore. Tu.

Cum 2. Vesp.

DIE XXI. JUL.

DEDIC. B. M. V. DE EREMITIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Dedicat.

Lect. 1. Noct. de fer. occur.

IN II. NOCT.

LECTIO 1.

*Ex Baling. die 14. Sept. et aliis
auctoribus.*

Est in Helvetiâ Sacellum Beatae
Virginis MARIE sub titulo de Ere-
mitis, à Sancto Meginardo initio
noni sæculi structum, et à Sancto
Eberhardo medio decimo sæculo
ampliori formâ restauratum, atque
anno nongentesimo quadragesimo
octavo, decimo octavo Kalendas
Octobris miraculo petraro conse-
cratum. Res ita habet. Vocatus
fuerat ab Abbate loci Ordinis Sancti

Benedicti Conradus Episcopus Constantiensis ad consecrationem Sacelli peragendum. Ille, cum solito more noctu oraret, in Sacello audit angelicam symphoniam, viditque angelos cantum eundem et ordinem et cœrentiam in eodem Sacello servare et usurpare, quæ ab Episcopis in Consecratione Ecclesiarum usurpantur. Unde intellexit, ab ipso Christo, cœlitibus ministrantibus, Sacellum illud dedicari. Audire etiam idem, et cognovere permulti cum illo monachi. Tu.

¶. Magnum hæred.

LECTIO 5.

Verum ceptâ luce, paratis omnibus ad consecrationem, et cunctis Episcopis expectantibus, ipse solus cunctabatur, et similis antonio in Sacello persistebat. Circa meridiem urgent Antisites, tandem inchoat consecrationem, ne tam numerosum populum, qui confluit, re infectâ dimittat. Ad hæc narrat ipse visionem. At illi tanquam somnum interpretantur, impelluntque, ut eâ non obstante, consecrationem aggrederentur. Sed cœlestis vox delapsa est, quæ omnes mirè percussit: Cessa, frater: divinitus capella consecrata est. Eandem tertio repetitam omnes audierunt. Indè fides data Conrado, qui Sacello egressus Basilicam ei circumjeclam consecravat in nomen et titulum Sancti Maurilii et sociorum. Tu.

¶. Verè Dom.

LECTIO 6.

Hujus miraculose Dedicationis meminerunt ipse Conradus, Hermannus Contractus, Martinus Polonus, Leo Octavus in quadam Bula, quæ à plurimis aliis summis Pontificibus fuit confirmata, et approbata. Eugenius quartus autem concessit Burchardo Abbati ejusdem Eremiti Deiparæ, ejusque successo-

ribus facultatem audiendi confessiones eorum, qui ad Leonis octavi consequendum indulgentias se conferrent. Leo decimus quoque Indulgentias, remissiones, et indulgæ, necnon et singulas litteras prædecessorum suorum huic Sacello concessas adoptavit, atque ab Episcopi Constantiensis jurisdictione et potestate liberavit ad petitionem Conradi Abbatis. Hoc Sacellum ad finem præteriti sæculi destructum, reedificatum fuit initio præsentis, et omni tempore ad illud ingens fuit peregrinorum accursus. Tu.

¶. In multitudine.

Homil. de Comm. Dedic. pro Dupl.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Anastasiopolitane de Oleo.

Gumpenb. 395. ex Egravio.

Theodorus Siceotes ex Eremita factus Episcopus Anastasiopolitanus, Sanctitate illustris, qui sexto sæculo floruit, cum smil celeberrimam Deiparæ adem, et jam miraculis claram intrasset; manibus in crucis figuram expansis preces Sacrosanctæ Virginis offerabat; cumque oculos irretitos fixisset in Deiparæ objectam Imaginem, repente omnibus spectantibus oleum effervesces ex imagine in Theodori oculos exiit, orantisque faciem conspersit, iis qui viderant exclamantibus, magnum Dei servum esse Theodorum. Indè cultus Deiparæ jam per se magnus augmentum accepit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ à Capitul. sequentis.

DIE XXII. JUL.

DON. FORTITUDIN. B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Excita, quasumus Domine, in

populo tuo Spiritum fortitudinis quo Beatissimam Virginem MARIAM replere dignatus es, et concede, ut, cujus memoriam agimus, ipsa intercedente, ab omnibus hostium nostrorum erumamur insidiis. Per Dom.... ejusdem Spirit.

Lect. 1. Noct. Mulierem. p. 115.

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini. c. 18. §. 4.

LECTIO 4.

Fortitudinis dono ac gratiâ fuit plena Beata MARIA super omnes. Hoc autem probat Albertus per istam rationem. Quidquid est fortius fortiore, est fortius infirmiore, sicut leo est fortior equo, undè et multò magis fortior cane erit, qui minùs fortis est quam equus. Sed Beata MARIA est fortior tribus fortioribus omni viatore: isti autem fortiores omni viatore sunt: Deus, mors, et diabolus. Nam quantum ad primum certum est, Deum esse potentissimum omnium: Exodi: Omnipotens nomen ejus. Sed Deum quodammodo Beata MARIA superavit, in quantum scilicet humillitas ejus de cœlis traxit ad terras, et homini subjecti, scilicet Matri suæ... Et sic fortitudo Beate MARIE rigorem divinæ fortitudinis et severitatis superavit. Tu.

¶. Mulierem fortem quis inveniet? * Procul et de ultimis finibus pretium ejus. ¶. Cujus fortitudo similis Rinoerontis.—Proc.

LECTIO 5.

Secundum fortissimum omnium est mors, quæ omnes creaturas mortales superat et prosternit. Quis est enim qui vivet, et non videbit mortem? Dicitur in Psalmo. Certè nullus, quia nec propriò Filio Dei incarnato peperit. Mors Domini servo, mors sceptrâ ligo-

nibus æquat. Dissimilem simili conditione trahit, inquit Poeta. Sed Beata MARIA fortior morte fuit. Sicut enim per feminam Evam mors intravit in mundum, ita per feminam MARIAM destructa est mors scilicet per fructum ventris sui. Undè dicere poterat illud Osee: O mors ero mors tua. Tu.

¶. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? * Statutum est hominibus semel mori. ¶. O mors ego mors tua.—Stat.

LECTIO 6.

Tertium potissimum est diabolus, de quo Job. Non est potestas similis super terram. Iste est fortis armatus, qui tenebat in pace atriæ suam, scilicet mundum. Nullus audebat resistere tentationibus ejus: dicitur enim in figurâ ejus: ipsa conteret caput tuum, scilicet serpentis antiqui. Item actus hujus fortitudinis est, terrenas cupiditates non solum repimere, sed etiam oblivisci penitus. Hoc autem non contingit in alio viatore, nisi in Virgine, in quâ est extinctio omnino fomes peccati. Et ideò habuit hoc donum fortitudinis excellentius et plenius super omnes. Tu.

¶. In me ancillâ suâ adimplevit Deus misericordiam suam, quam promisit domui Israel, * Et interfecit in manu meâ hostem populi sui. ¶. Ipsa conteret caput tuum.—Et.—Gloria.—Et.

Homilia de Comm. pro Duplici.

LECTIO 9.

Comm. B. V. Sixenensis de Choro. *Marc. Ant. Varon. Hist. Sixene.* Imago Beate Virginis Sixenensis de Choro prius in Sixenæ parochiali templo sedem habebat; sed è loco suo quadam nocte, anno millesimo centesimo octogesimo secundo abiisse, et in parvula insula, quæ in me-

dio lacunæ ad Canadris fluminis ripas sita, prominebat, inventa hove indice tollens fuisse fertur, quotiens inde sive ad suam primam sedem, sive ad alia vicina Sacellam deducta ab oppidanis fuerit. Hæc miraculosa translatio causa fuit, ob quam Alphonus secundus Aragoniæ rex in ipso lacunæ loco unâ cum magnifico templo Monasterium Sancti Joannis Jerosolymitani nobilibus Monialibus edificaverit, in quo, ipso defuncto, uxor ejus Sancta regina cum Dulcî filia habitum Ordinis induit. Chorus est, ubi prius insula erat, et Deiparæ Imago in eo ipso loco ubi inventa fuit. Tu.

Te Matrem.

Vesp. à capit. de sequenti.

DIE XXIII. JUL.

D. V. FOGHENSIS SEPT. DOLOR.

Duplex.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Ex Decreto Episcopi Trojani.
Super hanc Imag. apud Pouget.

LECTIO 4.

Fogia in Neapolitano regno in Trojanâ diocesi celebris est statua Beatae Virginis sub titulo Septem dolorum, ex ligno vestibus induta, quæ in Ecclesiâ parochiali Sancti Joannis Baptistæ prædictæ civitatis colitur. Hæc statua diebus decimâ quariâ, decimâ quintâ et decimâ sextâ mensis Aprilis anni millesimi octingentesimi trigimesimi septimi visa est modò oculis in oculum attollere, modò in populum convertere, labia ita movere, ac si è pectore traheret suspiria, lacrymari, sudore manare, crines turbare, ac deniquè vultum frequentè mutare, et ut auditis de more testibus, factisque interrogatoris, post recognitionem statuæ, et habitis in-

supèr in consilium theologis, ac piis nempe capitulo prædictæ Basilicæ, ac Parrocchis prædictæ civitatis, hujusmodi miraculum nullo prorsus pacto in dubium revocari potuit, utpotè contestatum à viginti et tribus testibus juratis viris, aliisque sexcentis tum viris, cum mulieribus. Tu. §.

LECTIO 5.

Vulgatum enim cum fuit prodigium, omnis ferè populus in dictâ Ecclesiâ adunatus signa prodigiosa aspexit, nec tantum cum erat in propriâ adiculâ sanctissima Statua, verum etiâ cum fuit exposita, et in cornu Epistolæ altaris majoris prædictæ Ecclesiæ, ac postea in mensâ sacrâ, ac deniquè in cornu Evangelii ejusdem altaris, non unico oculorum conjectu, sed multo temporis intervallo, non unâ die, sed tribus, nudis oculis, nec lippis, non plurimâ distantia intercedente, sed eâ quæ facillimè aspicî poterat, non paucâ ac debili, sed plenissimâ luce, ubi nulla dictæ statuæ, nec luminum agitatio, ac proinde nulla lucis refractio, quæ aliam speciem in oculos imprimere poterat. Tu. §.

LECTIO 6.

Insupèr nec ulla erat animumorum præoccupatio, nec dissensio, quin imò testium plurimi, nec simplices, nec creduli persuasum habebant, quod esset effectus phantasiæ perturbatæ, nec prius ullam fidem miraculo persisterunt, quam omni adhibita diligentia, ne fallerentur, prodigiosa signa conspexerint, quibus visis, non potuerunt, populo spectante, lacrimas cohibere. Inde est, quòd vicarius Generalis Episcopi Trojani, omnibus maturè perpensis, specialitèr ad id delegatus, pronuntiavit, se declaravit hujusmodi miraculum posse publicari, ac publicari mandavit die quintâ mensis

septembris ejusdem anni millesimi octingentesimi trigimesimi septimi. Tu. §.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 34.

In illo tempore: Dixit Simeon ad MARIAM Matrem JESU: ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Et reliqua.

Homilia S. Timothei Presbyteri Jerosolymitani.

Orat. de Propheta Simeonis.

Pro signo, cui contradicebatur erat Dominus circa partum Virginis, quandò quidem magnum erat signum, Virginem quæ peperisset, virginem manere. Quod autem Virgo signum fuerit, cui contradiceretur, audi Isaiam in suo opere ita dicentem. (Lect. 8.) Quum diceret Dominus ad Achaz: Petiti tibi signum in profundo, aut in sublimi. Dixit Achaz: nequaquam petam, neque ullo modo tentabo Dominum. Tu. §.

LECTIO 8.

Et dixit Isaias: ecce dabit Dominus ipse vobis signum. Quodnam hoc? Ecce Virgo conceptum fetum in utero gestabit. (Lect. 9.) De hoc à Virgine pariente edito domino signo, cui futurum erat, ut à nullis contentiosâ linguâ contradiceretur, Simeon rem futuram præsignavit ad Virginem dicens: ecce hic positus est in signum, cui contradicetur. Tu. §.

LECTIO 9.

Commemor. B. V. de Covadonga.

Spaelli ex Luc. Tudensi.

Pelagius primus Hispania Rex post occupatam à Sarracenis Hispaniam anno septingentesimo decimo octavo, de iisdem Sarracenis apud Astures, Deiparæ invocatione, insignem victoriam obtinuit. Cum

enim ad Ausenæ montis speluncam muniam cum mille ex suis se recepisset, et in eâ ab hoste perterriti se omnes inclussissent, Beata MARIÆ suffragia expelentes, ejus ibi memoriam venerabantur, et orationibus pro re christianâ insistebant. Verum Sarracenis portam speluncæ jaculis, lapidibus, ac sagittis ferire conantibus, hæc tormenta ab ipsis emissa contra eosdem relorquebantur, maximâ ipsorum strage. Sarracenos ergò turbatos, et retrocedentes Pelagius Dei gratiâ roboratus stricto ense invadens viginti millia ex eis cum duce interfecit, ceterosque omnino dissipavit. Spelunca verò illa Deiparæ memoriæ dicata, ejusque nomine dicta est: Sancta MARIA de Covadonga. Tu. Te Matrem.

Vesper. à capitul. seq.

DIE XXIV. JUL.

DISPENSATIONIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiternè Deus, qui ex abundantia misericordiæ tuæ, Beata MARIAM semper Virginem omnium gratiarum tuarum Dispensatricem effecisti, concede propitius, ut qui ad ejus præsidium frequentè confugimus, celestium donorum divites efficiamur. Per Dominum.

Lectio. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.

De Beatâ Virg. 61. c. 1. c. 8.

LECTIO 1.

À tempore à quo Beata Virgo Mater concepit in utero Verburi Dei, quamdam, ut ita dicam, jurisdictionem, seu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus Sancti processione temporalî, itâ quòd nulla creatura

aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, nisi secundum ipsius Matris dispensationem. Hinc Bernardus devotissimus ait: nulla gratia venit de caelo in terram, nisi transeat per manus MARIE. Hinc Hieronymus in sermone de Assumptione inquit: in Christo fuit plenitudo gratiae sicut in capite influente, in MARIA verò sicut in collo transfundente. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Reverè Mater Dei hanc in mundo naturali jure obtinuit dignitatem, ut Regina misericordiae nuncupetur, et hoc propter Filii magnificentiam, qui est Rex regum et Dominus dominantium. Reperio namque in Rege nostro JESU duas dignissimas dignitates, videlicet, quod sit aeternus Deus, genitus ab aeterno, et aeternum Deum producat, eo quod Spiritum Sanctum spiraret, et ipse clausus in virgineo utero, in aeternitate à Deo Patre Deus generabatur aeternus, et in eadem aeternitate ipse puer in ventre Matris Deum inspirabat, et producebat. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Primam Filii dignitatem, scilicet, quod sit generatus à Deo, tam infinito modo Virgo benedicta participavit, quod Deus non dicalur verus Filius Dei, quam filius Virginis, nec major, nec minor, nec dignior est Dei filius in throno paterno sedens vestitus claritate, quam habuit antequàm mundus fieret, quàm pannis pauperibus involutus, et intra fœnum in praeseptio reclinator. Et quia talis est Mater Filii Dei, qui producit Spiritum Sanctum, ideo omnia dona, virtutes, et gratias Spiritus Sancti, quibus vult, per manus ipsius administrantur. Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 28.

In illo tempore: Ingressus angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Sermo in Nativ. B. V.

Quis fons vitæ nisi Christus Dominus? Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatae sunt aquae, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquaeductum vena illa caelestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiae arenitibus cordibus nostris infundens. Plenus equidem aquaeductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Advertitis jam, ni fallor, quem velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, sed si non prout est, prout capere poteramus. Tu. ꝑ.

Bened. 8. Cujus dispensationem.

LECTIO 8.

An verò inveniri potuissè miramur, undè talis ac tantus fieret aquaeductus, cujus nimirum summitas instar profectò scalæ illius, quam vidit Patriarcha Jacob, caelos, ut vividissimum illum aquarum, quæ super caelos sunt, posset attingere fontem? Sed quomodo noster hic aquaeductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementiâ desideriorum, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptum est: oratio justî penetrat caelos. Et quis justus, si non MARIA justa, de quâ sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergò illa inaccessam attingit majestatem, nisi pulsando, petendo, quaerendo? Tu. ꝑ.

LECTIO 9.

Deniquè et quod quaerebat, invenit,

cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum. Quid? plena est gratiâ, et gratiam adhuc invenit? Dignapropsus invenire quod quaerit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodum scriptum est: qui bibit me, adhuc sitiet: petit superfluentiam ad salutem universalis. Spiritus Sanctus, ait, super venit in te, et pretiosum illud balsamum tantâ tibi copiâ, tantâque plenitudine influit, ut copiosissime effluat circumquaque. Ita est, jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in oleo, jam clamamus: oleum effusum nomen tuum, memoriale tuum in generatione et generationem. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bernardino Senensis.

Dom. 1. Quadr. art. 1. c. 3.

537. Omnium gratiarum quæ humano generi descendunt, sicut Deus generalis est dator et Christus est generalis mediator, sic per gloriosissimam Virginem generalitèr dispensantur. Tu.

Vesper. à capit. sequent.

DIE XXV. JULI.

TRIUM EMINENTIAR. B. M. V.

Puplex.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Senensis.

Serm. Exaltat. B. V. M. a. 2. c. 1.

LECTIO 4.

Tres sunt Eminentiae præsentis vitæ, quibus honorata fuit Beata Virgo. Prima temporalium, secunda intellectualium, tertia affectualium. Hæc signantur in luna, quæ tres habet naturas. Prima est mutabilis, ecce temporalia: secunda lucida, ecce intellectualia: tertia

frigidâ, ecce affectualia. Quæ omnia quasi luna sub pedibus Beatae Virginis postrata fuerunt. Prima Eminentia est temporalium valde enim eminentia reputantur ista temporalia bona, tamèn sunt mutabilia et defectibilia, sicut luna. Hæc autem habuit Beata Virgo sub pedibus suis, quia suis affectibus per contemptum omnia subjugavit, nec sceleret aliquo modo ejus dilectionem ad Filium variarent. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Secunda verò Eminentia est intellectualium. Eam omnium scientiarum, et creaturarum cognitionem activam et passivam Beata Virgo in comparatione ad supereminentem Christi scientiam parvi pendit. Ecce luna sub pedibus ejus. Hoc etiàm participabat Apostolus, qui ad Philippenses de se dicebat: Quæ mihi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamèn existimo omnia detrimentum esse propter scientiam JESU-Christi Domini nostri. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Tertia autem Eminentia est affectualium. Tanta enim fuit dilectio, quâ beata Virgo, etiàm in vitâ præsentis, dilexit Christum, quod omnes amores præsentis vitæ præteriti, præsentis, atque futuri respectu hujus sunt, quasi luna sub pedibus ejus. Utdè Ecclesiastico Beata Virgo merito de se ait: Ego Mater pulchræ dilectionis: quasi diceret: Quia sum Mater Dei, habeo dilectionem tantâ pulchritudine eminentem ab omni aliâ, quantum eminet sol à luna. Tu. ꝑ.

Homilia de Comm. pro Dupl.

Bened. 8. Cujus Eminentias.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Guarga.

Cantab. l. 10. c. 3.

Oppidum Preixans in Archipresbyteratu Agerensi magnificentum Sacellum Deiparæ sacrum habet, in quo ejus miraculosa Imago de Guarga dicta, ut fertur, à pastore quodam reperla, dignos honores accipit. Hæc Sanctissimæ Virginis Effigies quæ lignea est, et admodum pulchra, etiã à dissitis populis frequentatur, et à vicinis solemnibus supplicationibus visitatur. Et cum semper prodigijs effulserit, semper quoque erga eam fuit continuus fidelium pietatis affectus. Tu.

Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXVI. JULII.

SS. PARENTUM B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Antiph. et capit. de Laudibus.

HYMNUS 285.

Regale Davidis genus,
Et conjugum par nobile,
Mundo daturi Virginem
Matrem futuram Numinis.
Qui sacra necit vincula,
Vos jungit innocens amor,
Piosque sensus approbans
Divinus aspirat favor.
Virtute solâ divites

Non vos opum falax decus,
Sed corde fervores caritas,
Et casta commendat fides.

Doxologia de Tempore.

†. Beatus venter qui te porlavit.
‡. Et ubera, quæ te lactaverunt.
Ad Magnif. aud. Benedicti sunt Pater et Mater, qui te genuerunt, quorum memoria permanet in sæculum.

Oratio de Laudib.

AD MATUTIN.

Invitat. Laudemus Deum nostrum * In veneratione Sanctorum Parentum Beatæ MARIE Virginis.

HYMNUS 286.

Promissa mundo gaudia
Jam sperat humanum genus,
Adsunt beati conjuges
Orbique Christo preparant.

Hunc Anna volis advocans
Summi Parentem Numinis,
Thori fidelis præmium
Favente celo concipit.

Fecunda radix pullulans
Florem tenellum proferet,
Qui lætus optata dabit
Fructum salutis germine.

Doxologia de Tempore.

IN I. NOCT.

De libro primo Regum.

LECTIO I. c. 2. 1.

Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutaris tuo. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, et non est fortis, sicut Deus noster. Nolite multiplicari loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi preparantur cogitationes. Tu.

‡. O castissimum rationalium turturum par Joachim et Anna! Vos quippe mundo Dei Matrem viri nesciam peperistis. †. Ex fructu ventris vestri agnoscimini.—Vos.

LECTIO 2.

Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Repleti prius, pro panibus se locaverunt: et famelicis saturati sunt, donec steriles peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est. Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos et reducit. Dominus pauperem facit et dilatat: humiliat et sublevat. Tu.

‡. O beatum par Joachim et Anna, immaculatissimum prorsus!

Vos castitatem, quam natura lex præscribit, conservantes, ea, quæ naturam superant, divinitus estis consecuti. †. Vos electi fuistis in Sanctissimæ Dei Genitricis Parentes.—Vos castitatem.

LECTIO 3.

Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem; ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris confitecent: quia non in fortitudine suâ roborabitur vir. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cælis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Tu.

‡. O Filia Adami, et Dei Mater: Beati lumbi et venter, ex quibus prodisti. †. O rosa candidissima! O liliium inter spinas.—Beati.—Gloria.—Beati.

IN II. NOCT.

Sermo S. Epiphaniæ Ep.

LECTIO 1.

De radice Jesse ortus est Rex David, et de tribu regis David Sancta Virgo. Sancta, inquam, et sanctorum virorum Filia: ejus parentes fuerunt Joachim et Anna: qui quidem, in vitâ suâ Deo placuerunt, atque etiã fructum ejusmodi germinaverunt, Sanctam Virginem MARIAM, templum simul et Matrem Dei. Joachim porrò, Anna, et MARIA, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quod Joachim et Anna gratiam acceperunt,

ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, Sanctam Virginem adepti: Joachim quidem precabatur in monte, et Anna in horto suo. Tu.

‡. O Joachim et Annæ Sacratissima Filia, * Quæ sine maculâ custodita es, ut sponsa Dei, naturæque Dei Mater esses. †. O Virgo intacta sanctorum Parentum dignissima Filia.—Quæ.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Serm. de Nativitate B. V.

LECTIO 5.

Opus beatum Joachim et Annæ vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ solo Creatore digna erat. Exulta Joachim, quoniam ex Filia tuâ filius natus est nobis, et vocatur nomen ejus magni consilii, id est, salutis totius mundi Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quoniam igitur modo ea Dei Genitrix non sit, quæ pererit? Tu.

‡. Isti sunt viri Sancti: * Qui piæ et sanctæ in humanâ naturâ angelicam vitam agentes, Filiam angelis superiorem, nunquam angelorum Dominam ediderunt. †. O Filia Dei, gloria mundi, parentum decus!—Qui.

LECTIO 6.

Et quis Sanctam Dei Genitricem non conficiat, et Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quamquã aliqui mea: hanc enim divinisimam hereditatem à Theologo Patre accipi. O beatum par Joachim et Anna! Ac profecto ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut Deo gratum erit ac dignum ea, quæ à vo-

his orta est, vite vestrae rationes instituitis. Castè enim ac sanctè munere vestro functi, virginitalis thesaurum prodixistis. Tu.

¶ Congaudete mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperit. * Ac benedictionis fructum uberibus meis, ut opaveram, nutritio. ¶ Sterilitatis mœstiam exui, ac lætam fecunditatis vestem indui.—Ac.—Gloria.—Ac.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 1. 1.

Liber generationis JESU—Christi, Filii David, filii Abraham. Et reliq. Homilia Sancti Fulberti Episcopi.

Serm. 2. de Nativ. B. V.

Merito siquidem hujus Sanctæ Virginis multum ad eò laudandi et extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, ut non immeritò de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret et precisis atalibus et subsequentibus exemplum totius bonitatis. Felix et præ cæteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocitari patrator. Felix etiã qui non plures, sed unam promeruit suscipere Natam, quæ unicum conciperet et promeruit Dei Filium. Nec enim decebat, ut hujus singularis Virginis sanctissimi progenitores fedarentur plurimorum propagine filiorum, qui erant futuri unice Matris Domini provisors, et educatores egregii. Tu.

¶ Cum semine eorum permanent bona: * Semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. ¶ Sit memoria illorum in benedictione, et nomen eorum permaneat in æternum.—Semen.

Bened. Cujus Sanctos Parentes colimus.

LECTIO 8.

Verò beata, et omni generatione habenda, et quodam privilegio sacro prædicanda Mater hujus Sanctæ, quæ omnium antecessit matres in concipiendi et generando eam quæ suum et omnium generaret Creatorem. Gaude et lactare, o felix, pro tali filia, quoniam tali dote donata es, quæ nulla ante te, vel postea meruit antecelli. Quanta putamus fuerit provisio Sanctolorum Angelorum circa tam Deo gratissimos Parentes ab initio suæ procreationis, et exultatio super lam ingentem sobolem? Nunquid abfuisse credendum est Spiritum Sanctum ab istâ eximiâ Puellâ, quam suâ obumbrare disponebat virtute. Nulli enim fidelium dubium est, quod circa eam omnis frequentia celestium agminum invigilabat. Tu.

¶ Quæ ad Patres repromissio facta est. * Hanc Deus adimplevit filiis. ¶ Corona senum filii eorum, et gloria filiorum patres eorum.—Hanc.—Gloria.—Hanc.

LECTIO 9.

Cujus autem Pater et Mater carnales fuisse feruntur, Joachim et Anna, qui benè sibi de nominis interpretatione competunt. Joachim quippè præparatio Domini dicitur, Anna verò gratia Dei interpretatur. In horum duorum nominis interpretatione quid inicitur, nisi gratia, quam simili adepti sunt? Ubi namque poterit esse gratia, nisi ubi famulatur præparatio conscientia? Et ubi locum habebit præparatio operationis, nisi ubi ante præcesserit Dei elargita gratia? Sic ergo in unum duæ compactæ gratiæ, disponente Dei nutu, proferunt ex se gratiam non parvam, profuturam valdè cunctis hominibus. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Joachim et Anna * tanquam spiritualis montes dulcedinem stillarunt.

2. Anna Joachimi * uxor flets in horto suo promeruit accipere Sanctam Virginem MARIAM.

3. In illo tempore, * Joachim et Anna orantibus, exaudita sunt preces amorum in conspectu gloriæ summi Dei.

4. Missus est Angelus Domini ad eos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae.

5. Ex ventris vestri * fructu immaculato agnoscimini, quia ex fructibus eorum cognoscetis eos.

CAPITULUM. Luc. 1. 6.

Erant autem justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querelâ.

HYMN. 287. Rodolphus agricol.

Salve Sancta Parens,
Et tu, Nata inclita, salve,
Quas caro, quas pietas,
Has quoque jungit honor.
Natum, Mater, amas,
Et Natæ Mater amaris,
Laus capit una duas,
Ut tenet unus amor.

Bis lamen Anna potens
Hoc partu, bisque beata,
Et prolis titulus
Nobilis atque tuus.

Conspicuos præstant
Alios benefacta parentum:
Tu contra Filia
Nobilitate nites.

Magna quidem meritis
Et tuis, pietate, fideque,
Quis neget? Ac Nata hæc
Splendidiora facit.

Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato:

Quæ peperit Virgo,

Gloria Spiritui. Amen.

¶. Justi autem in perpetuum vivent.

¶. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Bened. ant. Visitavit Dominus populum suum, sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum ejus.

Oratio.

Deus qui Beatis Joachim et Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut ex eis Unigeniti Filii tui Mater nasceretur: concede propitius, ut quorum festivitate celebramus, eorum precibus promissam in Christo salutem consequamur. Per eundem.

Ad Prim. ant. Joachim. Capit. Erant. de Laudib.

¶. B. Brev. Quæ ex Beatis Joachim et Annâ nata fuisti.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimo Tertio. Const. 161. Sancta Mater. anno 1384.—Tom. IV. p. 4. p. 54.

338. Præcipimus, ut perpetuis futuris temporibus Beatae Annæ dies festus septimo Kalendas Augusti per totius orbis Ecclesias duplici officio quotannis recolatur. Tu.

IN II. VESPER.

Ant. et capit de Laudib.

HYMNUS 288. Carol. à S. Anton. Omnium laudum resonent honore Nomina illustris Joachimi et Annæ: Quisque præclarum meritis utrumque

Tollat ad astrâ.

Nomine hic signans Domini apparatus,
Filiam, Templum Domino paravit,
Quam satis pulchram dedit Ana-
cujus

Gratia Nomen.

Quanta in ambobus probitas,
amorque

Quantus, et quantus pietatis ardor,
Ex quibus, Mater bonitatis summa
Elita Christi.

Debitas grates, Joachime, solvat,
Quis tibi, et dignas tibi solvat,
Anna?

Non opis nostræ: superatis omnes
Virgine grates.

Maximè obstricti sumus, o beati
Conjuges, vobis; bona cuncta ves-
stra

Prole manarunt, miserè jacenti
Vitaque mundo.

Fac, tibi celsas sine fine laudes,
Hisque in æternum pariter cana-
mus,

O Deus clemens, Deus o tributor
Amplè honorum! Amen.

ÿ. Benedicamus Deum, qui te
creavit.

ÿ. Benedicamus uterque Pater qui
te generavit.

Ad Magnific. ant. O Joachim
Sanctæ, Conjux Annæ, Pater almæ
Virginis his famulis confer salutis
opem.

DIE XXVIII. JUL.

IN MEMORIAM B. M. V.

Duplez.

Oratio.

Praesta, quæsumus, omnipotens
Deus, ut qui hunc diem felicissimæ
recoꝛdationis Sanctæ Genitricis tuæ
specialièr consecramus, terrena
cuncta obliviscentes, celestia bona,
ipsâ intercedente, ardentius appe-
tamus. Qui vivis et regnas.

Lectio 1. Noct. Fer. occur.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep.
De laudib. B. V. l. 4. c. 26.

LECTIO 4.

De Memoria MARLE potest dici et
exponi, quod de memoria Josue

dicitur: Memoria Josue in composi-
tione odoris facta est opus pigmen-
tarii, id est, stravis et odorife-
ra est, quasi odor aromaticus com-
positus opere pigmentarii. Qualis
ergo fuit præsentia ejus, talis est
memoria. In omni ore generalitèr
magorum et parvorum, quasi mel
indulcibiliter ejus memoria. Quasi
diceret: sicut mel delectat gustum
comedentis, et quantò amplius mas-
ticator, dulcius invenitur, sic MAR-
LE memoria delectat de ipsâ lo-
quentem, et quantò plùs de ipsâ
loquitur, tantò magis in ipsius
memoria delectatur. Tu.

ÿ. Memoriale ejus sicut vinum
Libani. Mirabiliter delectans, su-
aviter inebrians, et virgines ger-
minans. ÿ. In omni ore quasi mel
indulcibiliter ejus memoria.—
Mirabiliter.

LECTIO 5.

Et ut musica in convivio vini.
Quasi diceret: sicut armonia instru-
mentorum musicorum dulcis et su-
avis est in convivio vini, quod de-
lectat, sic memoria ejus dulcis et
suavis non solum loquenti, sed
etiàm audienti. Osee in fine: me-
moriale ejus sicut vinum Libani,
ut supra: Gemmula carbunculi in
ornamento auri, et comparatio mu-
sicorum in convivio vini. Tribus
igitur comparat memoriam ejus.
Odori operis pigmentarii, quod de-
lectat olfactum: mellis dulcedini,
quæ gustum; armoniæ musicorum,
quæ auditum. Quia memoria ejus
suavis in corde, in ore, in aure,
etiàm hoc propter tria secundum
Rabanum. Nam fama virtutis ejus
superat omnem odorem, suavitatis
modestie omnem dulcedinem, stu-
dium præstandi cultum Dei omni-
modam cantinellam. Tu.

ÿ. In memoria habetur à san-
ctis, qui permancbunt in utroque

sæculo: Si enim memoria justi cum
laudibus, quantò magis memoria
Virginis, per quam nobis Christus
factus est justitia. ÿ. Memoria
mea in generationes sæculorum.
—Si enim.

LECTIO 6.

Josias siquidem populum docuit
ponitèrè super transgressione legis,
undè sequitur: ipse est directus di-
vinitus in penitentiam gentis judai-
cæ, id est, in doctrinam penitentiae,
quia ipse eos docuit penitèrè. Et
tulit, id est, abstulit abominationes
impietatis, id est, fana et idola, qui-
bus impietas idololatria celebra-
tur. Et gubernavit ad Dominum
cor ipsius populi doctrinâ scilicet,
et exemplo. Et in diebus peccato-
rum, id est, in tempore, quo regna-
bat peccatum idololatriæ, et trans-
gressio legis, et violatio cultus
Dei, corroboravit pietatem, id est,
cultum Dei firmitèr observandum
instituit. Similitèr et Beata Virgo
sola cunctas hæreses interimit, gu-
bernat populum Christianum doc-
trinâ et exemplo, et ad cultum Dei
multimodè nos invitat. Tu.

ÿ. Immortalis est memoria ejus,
Quia apud Deum nota est et apud
homines. ÿ. Memoriam abundan-
tiæ suavitatis tuæ eructabunt.—
Quia.—Gloria.—Quia.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum
Matthæum.

LECTIO 7. c. 12. 46.

In illo tempore: Loquentè JESU ad
turbas, ecce Mater ejus et fratres
stabant foris quærentes loqui ei.
Et reliqua.

Honilia S. Ansclmii Ep. Lucensis.

In Salutatione B. V. M.

O nimia et ineffabilis divita boni-
tatis divina: Quanta, quæso, erga
talem Virginem debet cor nostrum

devotione difundi, per quam me-
rimus Deo esse confratres et co-
haeredes? Mira deberet os nostrum
dulcedine abundare, cum tam dul-
cem et benignam Dominam saluta-
mus, et ejus benedictionis fructum.
Suavissimus et dulcissimus est fruc-
tus ejus, et in ore et corde sac-
pientis dulcescit. Tu. ÿ.

Bened. Cujus Memoriam facimus.

LECTIO 8.

Mira est hujus Virginis fecunditas,
quæ dum salutat devotè, ad cor
salutantis suum dulcissimum fruc-
tum emittit, et quantò quis in
ejus fructu amplius jucundatur,
tantò ab eâ amplius impetratur.
Nisi dicas sufficere nunquam ces-
sabit. (Lect. 9.) O mira Domina,
mirum videtur, quomodò non tan-
tum delectemur in te salutando,
quòd præter te, et tuum fructum
cætera ignoremus. Quomodò, quæ-
so, non est ad te tantum intentus
homo propter tuam nimiam suavi-
tatem, ut etiàm semetipsum ab-
stractum ignoret? O raptrix cor-
dium! O ligatrix peccatorum! Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Cuniculis.

Gump. Atlas. mar. p. 650.

Avesnensium in Hannoniâ traditio
est, statuum Peatæ Virginis, quæ
ad minus templi vestibulum colli-
tur, suo loco obsidionis tempore
motam, obviam ivisse hostibus,
jamjam in urbem irumpentibus,
eosque non aliis armis, quam
virga longâ, decorticatâ et can-
didâ itâ terruisse, ut pedem refer-
re coacti fuerint, et obsidionem sol-
vere. Hæc traditio fidem eo ma-
jorem meretur, quòd non solum nar-
ratione firmetur, sed etiàm publi-
co festo et perpetuo, singulari cæ-
rerentiâ à majoribus instituto, un-
dè nomen de Cuniculis hæc statua

acquisivit: nam festo Deiparæ Præsentate, quo commemoratio hujus liberationis miraculose celebratur, distribuuntur tam ecclesiasticis, quam secularibus, atque etiam pueris puellisque liba candida, oblonga, quæ illiæ terrarum Cunoies appellantiur. Tu. Te Matrem.

Cum 2. *Vesper.*

DIE XXIX. JUL.

B. V. DEPRANTANE DE LUCE.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. de ferid.

LECTIO 4.

Oct. Cajet. de effigib. siculis.

Imago beate Virginis à Luce dicta, Deprani in Sicilia per multos annos in interiori porta urbis mansit, velut illius tutelâ, à quâ etiam portula Deiparæ dicta fuit, ubi colebatur pio cultu, et ante illius aspectum lampades accendebantur. Cum verò ad urbis munitionem portam illam dejicere necesse fuit; Imago illa ad templum Sanctissimæ Virginis à Portu appellata translata fuit: ibique nova prodigia edere, no-vaque effundere beneficia cœpit. Tu. ð.

LECTIO 5.

Crevit Virginis miraculis Depranitanorum pietas, adeoque anno millesimo sexcentesimo tertio sanxit senatus illam in ampliorem locum transferre, indicâ solemnî atque universali supplicatione, die Sanctis Apostolis Petro et Paulo dicato. Ab ipsis juratis Patribus Sanctissima Virgo delata fuit in ædem Divi Juliani, cum per vias, tum in templo, ubi illiæ perventum est, elargita est sua munera immaculata Deiparæ, nec adhuc à miraculis perpetrandis desisit. Tu. ð.

LECTIO 6.

Depicta est Imago in tabulâ mediocris staturæ, majorisque que pie-

latis, quàm pulchritudinis. Rubram obtinet veslem, et cœruleum pallium; divinam prolem sustinet dextro brachio, et sinistrâ manu mammam præbet lætanti puellulo, qui tantum album indusium habet, et sinistrâ manu accensam facem tenet. In Virginis diademate hæc inscripta reperiuntur verba: Sancta MARIA novæ lucis. Causa cur à Luce appellatur, videtur, quia divinus puer manu candelam præfert, sive quòd ad illud Esther Virginis figura alludatur. Tu. ð.

Homil. ut in die Matris lucis p. 570.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Ratisponensis de S. Lucâ.

Gumpenb. 942.

Ratispone in Germaniâ superiori colitur quedam Deiparæ Imago, quam Sancti Lucæ opus esse à pluribus sæculis creditur. Sanctus Henricus Imperator illam à Summo Pontifice accepit, et in hoc antiquissimo totius Baviaræ Sacratio reposuit. Etiam hodiè in honore est, siquidem Episcopus cum Clero Cathedralis Ecclesiæ singulis Deiparæ festis supplicationis ordine huc venit, toto catholico populo comitante, atque Sacrificio solemniter cantato, et concione aliàs in Cathedrali habendâ, hunc locum honorat. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Omnibus per MARIAM nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium apud omnes populos, urbes atque provincias.

Vesperæ sequentis.

DIE XXX. JUL.

VIRGINITATIS PERPETUÆ

B. MARIE V.

Duplex secundæ Clasis.

IN I. VESP.

Ant. 1. Virgo Deigenitrix, quem

totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

Psalmi de Solemnitatib.

2. Virgo decus cœli, Virgo Sanctissima, Virgo, quæ super angelicos est veneranda choros.

3. Tu niveas formosa rosas, tu candida vincis lilia: tu vultu vincis et astra tuo.

4. Pura columbellæ similis, quam lactea vesit penna, nec in toto corpore menta sedet.

5. Cara, benigna, micans, pia, sancta, veneranda, venusta, flos, decus, ara, nilor, palma, corona, pudor.

CAPITULUM. *Isai. 7. 14.*

Luce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

HIMNUS 289. *Ven. Fortunat.*

O Virgo excellens,
Vincens super omnia Matres:
Quam gens erexit,
Cui Deus alta dedit.

Cujus fructus adest,
Et flos non perdit honores,
Quæ nato es genitrix
Et tibi Virgo manes.

Felix quæ generi
Humano sub tartaro lapsu,
Ad cœlos facta es
Sors, via, porta, rota.

Aula Dei, ornata
Paradisi, gloria regni,
Hospitium vite,
Pons penetrando polos.

Arca nitens, et theca
Potens gladii bis acuti,
Arca Dei assurgens,
Luminis alta pharos.

Gloria summa Patri,
Compar sit gloria Nato,
Quo peperit Virgo,
Gloria Spiritui. Amen.

Y. Sancta Virgo Virginum.

ð. Intercede pro nobis.

Ad Magnif. *ant.* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines.

Orat. de Laudib.

Complet. de Domin.

AD MATUTIN.

Invitat. Laudemus Deum nostrum, * In perpetuâ Virginitate Beate MARIE Virginis.

HIMNUS 290. *Franc. Suertius.*
Nulla præcellens licet ac diserta
Lingua, te nullis valeat referre
Cantibus, nostræ via, quæ salutis
Prima fuisit.

Tu sacrum pignus teneræ pappilla
Lactæ sustentas, niveoque succo
Pascis, affligis generosa blandis
Ubera labris.

Nec tamen fœdo violata tactu
Castitas unquam tua vel virilis
Seminis consors fuit, ac manebas
Integra Mater.

Antequàm natum pareres, pudica
Virgo fulgebas, pariensque Virgo,
Edito partu, simili nitore es
Virgo relieta.

Nam tuum fido pia cura sacri
Flaminis duetu moderata peccata
Semper illasam tenuit, nec ullus
Labe notatus.

Tanta nimirum decuit futuram
Puritas Matrem superi Tonantis,
Quæque cœlestem paritura Solem
Omnibus esset.

Sit decus summo sine fine Christo
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?
Psalmi de ferid. occur.

2. Ne timeas, MARIA, quia post partum speciosior Virgo eris,

quàm ante partum.

3. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

ŷ. Virgo ante partum purissima.
ŷ. Interecede pro nobis.

De libro Exodi.

LECTIO 1. c. 3. 1.

Cum minasset Moyses gregem ad interiora deserit, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: et videbat, quòd rubus arderet, et non combureretur. Dixit ergo Moyses: vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses: Qui respondit adsum. Tu.

ŷ. Rubum, quem viderat Moyses incombustum, * Conservalam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem. ŷ. Videbat Moyses, quòd rubus arderet, et non combureretur.—Conserv.

De Isaiâ Prophetâ.

LECTIO 2. c. 7. 10.

Et adjecti Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in infernum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Jacob: nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Bulrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Tu.

ŷ. Spiritus Sanctus in te descendet MARIA, * Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ŷ. Ecce Virgo

concipiet, et pariet filium.—Ne timeas.

De Ezechiele Propheta.

LECTIO 3. c. 44. 1.

Et convertit me ad viam porta sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem: et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ejus sedebit in eâ, ut comedat panem coram Domino. Tu.

ŷ. Quæ est porta illa sanctorum exterior ad orientem, * Quæ manet clausa, et nemo pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel? ŷ. Hæc porta est MARIA, per quam in hunc mundum Redemptor intravit, nec aperta fuit.—Quæ manet.—Glor.—Quæ est.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Hæc porta erit clausa post partum, quia Virgo concepit, et genuit.

2. Sicut pluvia in vellus Deus descendit in Virginem, ut salvum faceret genus humanum.

3. Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

ŷ. Virgo in partu immaculata.
ŷ. Ora pro nobis.

Sermo S. Hildeph. Arch. Toletani.
Lib. de Virginitate. c. 1.

LECTIO 4.

Ecce Virgo ex Deo, Virgo ex homine, Virgo attestante angelo, Virgo iudice Sponso, Virgo ante sponsum, Virgo cum Sponso: indubitata Virgo etiã dubitante Sponso, Virgo ante Filii adventum, Virgo post Filii generationem; Virgo cum Filii Nativitate, Virgo post Filium natum. Verbo fecunda, Verbo repleta, Verbo uberrima, Verbo par-

tu digna: humana quidem nativitate, humana lege, humano sensu, humana conditione, humana veritate, illæsa, incorrupta, inviolata, intemerala, integerrima verè. Tu.

ŷ. Regina Mundi dignissima MARIA, Virgo perpetua: * Interecede pro nostrâ pace et salute. ŷ. Quæ genuisti Christum Dominum, Salvatore[m] omnium.—Interecede.

LECTIO 5.

Divino autem munere, divino favore, divinâ collatione, divino dono, divino congressu. Novo opere, novâ efficacîa, novâ operatione, novo effectu, novo partu. Cum conceptu Virgo, per conceptum Virgo, in conceptu Virgo, post conceptum Virgo: in partu Virgo, cum partu Virgo, post partum Virgo. Virgo cum nascituro, Virgo cum nascente, Virgo post Filium natum. Tu.

ŷ. Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis, * Quæ meruit Dominum progenerare suum. ŷ. Templâ Creatoris sunt membra pudicæ puellæ.—Quæ.

LECTIO 6.

Conjux diela et Virgo, conjux assumpta et Virgo, conjux creata et Virgo, cum conjuge simul et prole perennis Virgo. Ignota semper conjugio, ignota tactu, ignota maritali collegio. Et tunc certè, et tunc non dubiè, tunc verè, tunc veracitèr. Sancta Virgo, beata Virgo, gloriosa Virgo, honesta Virgo. Sed post generationem incarnati Verbi, post nativitatem Dei, hominis facti, post generationem in Deo hominis assumpti, post nativitatem Deo hominis uniti, sanctior et sanctissima Virgo, beator et beatissima Virgo, honestior et honestissima Virgo, augustior et augustissima Virgo. Tu.

ŷ. Inlemerala suspendit ab ubere natum, et panem celi munere

lactis alit: * Quæ Dominum peperit, clausa MARIA manet. ŷ. Concupiente fide, nullo se semine læsit.—Quæ Domin.—Gloria.—Inlemerala.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Quantum sponso potest de virginitate placere, ipsa Dei Genitrix non nisi Virgo placet.

2. Mater et Virgo supra omnes decora virgines et matres.

3. Princeps, corona, thesaurus virginitatis, fastigium omnium Virginum Virgo MARIA.

ŷ. Virgo post partum inviolata.
ŷ. Deigenitrix intercede pro nob.

LECTIO S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Epistola ad Syric. Pap.
De viâ perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non Virgo generavit. Quæ poluit ergo Virgo concipere, poluit Virgo generare: cum semper conceptus precedat; partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis angelorum dicentium: quia non est impossibile Deo omne verbum. Creditur symbolo Apostolorum, quod Ecclesiâ Romana iteratum semper custodit, et servat. Tu.

ŷ. Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera intacta permanent post partum: * Nobis genuit Salvatore[m] sæculorum. ŷ. Beata quæ creditur, quoniam perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei à Domino.—Nobis.

Bened. 8. Cujus perpetuam Virginitatem.

LECTIO 8.

Andivit MARIA vocem Angeli, et quæ antea dixerat: quomodo fiet istud? Non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum Verbum tuum. Hæc est Virgo, quæ in utero concepit, Virgo quæ peperit Filium. Sic enim scriptum est: ecce Virgo in utero concipiet, et pariet Filium. Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed et pariturum Virginem dixit. Tu.

¶ Creator generis humani animalium corpus sumens de Virgine nasci dignatus est: Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. ¶ Quando natus est ineffabiliter ex Virgine, tunc impletae sunt scripturae.—Et proced.—Gloria.—Creator.

LECTIO 9.

Quid autem incredibile si contra usum originis naturalis peperit MARIA, et Virgo permanet, quando contra usum naturæ mare vidit et fugit, atque in fontem sunt Jordanis fluentia remearunt? Non ergo excedit fidem, quod Virgo peperit, quando legimus, quod petra vomuit aquas, et in montis speciem maris unda solidata est. Non ergo excedit fidem, quod homo exivit de Virgine, quando petra profluxit, scaturiviv ferrum super aquas, ambulavit homo super aquas. Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare? Tu.

Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Virgo genuit mundi salutem, et Virgo peperit, et post partum Virgo permansit.

Psalmi de Dominica.

2. Virgo MARIA nilet, nullo intemerante pudorem, alleluia.

3. Post partum * pueri Virgo MARIA nilet, alleluia, alleluia.

4. Virginaliter Deum concepit, et sine angustia Deum paritavit.

5. Virginitas illa, * cui sunt salva sigilla, et fecunda tamen, det nobis dulce juvamen.

CAPITULUM. *Isai. 7. 14.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

HYMNUS 291. *Venat. Fortun.*

Virgo intacta manens,

Fidei ubertate maria,

Inscia conjugio

Fœta, regnante virgo.

Accipis, ut nescis:

Si reddis, ut integra constes,

Nec violata paris,

Nec pariendo doles.

Et tamèn est genitus

Deus et homo, verus et unus,

Spiritus atque caro,

Cristus, utrumque genus.

In deitate Patri

Coæqualis, vel corpore Matri,

Et sine peccato

De Genitrice caro.

Factor dans legem,

Factus sub lege ministrus,

Ipse Pater mundi,

Filius ipse tibi.

Gloria summa Patri,

Compar sit gloria Nalo:

Quo peperit Virgo

Gloria Spiritui. Amen.

¶ Post partum Virgo immaculata permansisti.

¶ Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Ad Benedict. ant. Ave Virgo parva ante partum: ave Virgo immaculata in partu: ave Virgo inviolata post partum, alleluia.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens æternæ Deus, ut purissima Virginis MARIE perpetuam Virginitatem festiva celebritate venerantes; ejus intercessionem puritatem mentis et corporis consequamur. Per Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Virgo. cap. Ecce Virgo de Laudib.

¶. br. Virgo ante partum, in partu, et post partum.

CANON.

Ex Concilio Toletano Decimo Sexto. An. 693. *Ex allocut. Flavii Eage. Reg.—Tom. XVII. p. 143.*

539. Quæ Virgo sicut ante conceptionem obtinuit Virginitatis pudorem, ita post partum nullam sensit integritatis corruptionem: nam Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum incorruptelæ pudorem sine interceptione obtinuit. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Isai. 11. 1.*

Ingredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

¶. br. Virgo ante partum * Purissima.—Virgo. ¶. Intercede pro nobis.—Puriss.—Gloria.—Virgo. ¶. Hortus conclusus, fons signatus.

¶. Putens aquarum viventium.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Ezech. 44. 2.*

Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.

¶. br. Virgo in Partu * Immaculata.—Virgo. ¶. Ora pro nobis.—Imm.—Gloria.—Virgo.

¶. Fecit Dominus novum super terram.

¶. Mulier circumdabit virum.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Apoc. 12. 1.*

Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

¶. br. Virgo post partum * Inviolata.—Virgo. ¶. Quæ Dei Filium peperisti.—Inviolata.—Glor.—Virgo.

¶. Tota pulchra es MARIA.

¶. Et macula non est in te.

IN II. VESP.

Antiph. et Cap. de Laudib.

HYMNUS 292. *S. Petr. Dam.*

Beata Dei Genitrix,

Nitor humani generis:

Propter quam de servis liberi,

Lucisque sumus filii.

Tu Aaron es virga,

Fœcunda licet sicca:

Quæ germen protulisti,

Et Virgo permansisti.

Te rubus prælucebat,

Qui ardens non ardebat:

Quæ sine astu mentis

Fructum dedisti ventris.

Et ante partum Virgo,

Sed post Virginum Virgo:

Crevit in ortu prolis

Integrilas pudoris.

Fac tuum nobis Filium

Piâ prece propitium:

Quem graviter offendimus,

Tu mitem redde, quæsumus.

Sit tibi laus, Altissime

Qui natus es ex Virgine:

Sit honor ineffabilis

Patri Sanctoque Flamini. Amen.

¶. Post partum Virgo inviolata permansisti.

¶. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Ad Magnif. ant. Beata Dei Genitrix, Virgo perpetua, sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo

placuiti Domino nostro JESU-Christo.

Oratio de Laudibus.

DIE XXXI. JUL.

B. M. V. DE AUXILIO.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Sanctissimæ Genitricis tuæ auxilium assidue imploramus, ab omnibus metus et corporis periculis liberemur. Qui vivis.

Leet. 1. Noct. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis.

Homil. 8. de Laud. B. V. M.

LECTIO 4.

Notandum ac solerter intueendum, quanto affectu, quantave benignitate Diva Virgo cognatos sibi puritate animi complectitur, et diligit, quæ homines nequam et sceleratos suo interventu, ut sæpe dictum est, à morte peccati, et æternis doloribus incessanter absolvit. Gemina quippe dilectione rutilans et insignis, hinc in Deum ardentissime figitur, cui adhærens unus Spiritus est, hinc electorum corda blandè consolatur et altrahit, eisque Nati largitate optima dona partitur. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Motu ergo celerissimo senas seraphim alas excedens, nunc in fonte fruitor amore deitatis, nunc terræ signis et virtutibus illustrans, ubique suis, ut mater jueundissima, et misericentissima occurrit. Quosdam præsentia subactis vitis reddit victores, quosdam magnarum virtutum pio interventu facit compotes, quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, aliis in exitu vitæ iter præbet securum, ut nulla

Die XXXI. Julii.

deleat virtus adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum Mater Unigeniti Dei. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Extant harum assertionum exempla plurima, quæ ut notissima et pervulgata compendiosè prætendimus. Sciendum verò certissime, quod creberrima miracula, innumera beneficia, spirituales visiones, celestes revelationes, sublimes consolationes almæ Parentis Domini orbis terrarum assidue coruscabant, donec finem mundus iste senescens inveniat, inlaescente regno ejus non est finis. Tu. ꝑ.

Homil. de Comm. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trevirensis de Deserto.

Gompenb. 746.

Deserti titulum habet hæc Deiparæ Imago, quæ in deserto, seu abstruso silvæ loco diu sine debilis honoribus stetit: anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono possuerat illam in stipite simplex Vinitor loco suæ pietati commoda, nam ibi cum Virgine suâ colloquia miscebat. Vicini postea ad ejus exemplum cœpere quoque frequentare locum, ubi remedia malis suis facile inveniebant, quibus medicum nondum invenerunt. Inde est, quod ejus miraculorum famâ crescente, collectis pecuniis Episcopus Deiparæ templum struxit tertio ab urbe Trevirensi lapide, sicutamque ei intulit. Nec abnuvit Deipara slatuarum suam illum deportari populorum hono, quos ne quidem pro beneficio et miraculis longo itinere fatigari voluit. Tu. Te Matrem.

Ad Bened. ant. Auxilium tuum, Domina, imploramus, defende nos semper in omni eventu.

Vesperæ de sequenti.

FESTA AUGUSTI.

DIE PRIMA.

SS. CORPORIS B. M. V.

Duplex major.

Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui sacratissimum MARIE Corpus, tot et tantis prærogativis decorasti, illudque dignum effecisti, ut ex eo immaculatam carnem assumes: concede propitius, ut qui ipsum devotè veneramus in terris, cum ipso tuæ gloriæ participes flammus in cælis. Qui vivis et regnas.

Leet. 1. Noct. de Comm.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Dionysii Carthusiani. *De laud. B. V. M. libr. 1. art. 17.*

LECTIO 4.

Videmus in quanto honore habeantur sanctorum reliquia, immò et materia in se viles, quæ sanctorum corpora teligerunt; et ad ea aliquo modo pertinuerunt, ut vestes, baculi, et capilli ipsorum. Itaque innotescit, quod quanto incomparabilis Virginis Sacratissimum corpus fuit ab omni labe peccati, etiã venialis magis immune, rationi quoque ac legi divinæ magis subiectum, et excellentissimâ castitate amplius decoratum, in quo nunquam fuit, nec minimus quidem motus inordinatus, aut stimulus, atque in summâ sobrietate, omni-que exercitio sancto incessabilis exercitatum, eo nobiliss ac digniss est effectum: et certum est, quod in his omnibus inelutissima, et in æternum benedictæ MARIE Corpus ineffabilis excellentiæ fuit. Ideo acceptissimum extitit Creatori, et quanto per naturam erat declivius, tantum per gratiam et virtutes fac-

Die I. Augusti.

tum est sublimius, dignius, atque nobiliss. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Præterea aliunde inestimabiliter dignificatum est præstantissimum MARIE Corpus: primò ex eo quod ex ejus portione et substantiâ sumptum et formatum est corpus illud dedicatum, quod in unitatem personæ sibi assumpsit Verbum æternum. O postus incomparabilis Domina, pretiosissima Virgo MARIA, ejus portio modica à Verbo æternò assumpta ad redimendum totum genus humanum fuit idonea! Secundò, quoniam in castissimo utero ejus quievit, et commoratus est mensibus novem Dei Unigenitus, homo factus et nutritus mundis ipsis sanguinibus. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Tertiò, quoniam Deum ex se verè et corporaliter natum hæc optima et nobilissima Virgo MARIA suo felicissimo corpore quotidie cum summâ charitate, reverentiâ et humilitate honoravit, nutritis, lactavit, circumferebat, amplectabatur, et contractavit, impendens adorando Infantulo, quod infantibus solet impendere genitricis. Certè, ò amabilissima Virgo, tam dignificata est ex prætractatis tua illustrissima caro, ut nullius præ creaturæ corpus, nec cælorum, nec planetarum, nec syderum valet ei in nobilitate et dignitate æquari. Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Leetio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 6. v. 17.

In illo tempore: Descendens JESUS de monte cum discipulis suis, stetit in loco campestri. Et reliqua.

Homilia B. Dionysii Carthusiani.

De laudib. B. V. ut supra.

Si virtus exivit de Christo inter ho-